

SCRIPTA

Numéro Scripta :

Auteur(s) : Hugues d'Amiens, Rouen (archevêque)

Bénéficiaire(s) : Adam, Lisors, Notre-Dame de Mortemer (abbé)

Genre d'acte : lettre

Authenticité : non suspect

Datation : 1142

Lieu d'émission : Rouen

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

L'archevêque Hugues prend l'abbaye de Mortemer sous sa protection. Il confirme la franchise de la dîme à Beauficel[-en-Lyons] et La Pommeraie ainsi que le privilège de la liberté accordé par le roi Henri Ier et déclare que l'abbaye de Mortemer est libre de la juridiction de l'abbé du Pin.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Gallagher Philip Francis, *The Monastery of Mortemer en Lyons in the Twelfth Century*, its History and its Cartulary, Thèse, University of Notre-Dame, Indiana, 1970, 375 p. (dactyl.), « The Cartulary of Mortemer – B. N. MS. Latin 18369 », Act 4, p. 188-191.

Texte d'après a

Confirmatio domni Hugonis Rothomagensis archiepiscopi.

[H]ugo Dei gratia Rothomagensis archiepiscopus dilecto filio suo Ade abbati de Mortuimaris eiusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum. Sancta mater ecclesia spiritum discretionis et gratie plena obediens quoque diligit et exultat et quanto ferventiores in religione conspicit tanto eos carius amplecti et honorare consuevit. Eapropter, fratres karissimi, Sancti Spiritus fervore succensi, angelice vite quam in terris imitari cepistis diligenter insistite, certi quia in quantum remotiores vos fecistis a seculo, in tantum vos proximiores constituistis Deo. Veruntamen ne ab huius propositi executione vestre quietis contemplatio deinceps in aliquo valeat perturbari, locum vestrum cum omnibus ad ipsum pertinentibus sub nostra et sancte Rothomagensis ecclesie protectione speciali caritate suscipimus et presentis scripti pagina communimus, statuantes ut nulli deinceps principum vel hominum de eo loco vos sine vestro assensu liceat amovere, in quo consilio ecclesie vestre monasterium vestrum situm est gloriose memorie regis Henrici largitione noscitur constitutum. Super terris quoque et consuetudinibus et omnimodis libertatibus que tam vobis quam animalibus vestris in bosco et plano ad omnes usus vestros necessarios infra totius foreste continentiam ab eodem magnifico principe sunt concesse nullus vos postmodum perturbare audeat vel aliquatenus ausu temerario prohibere. Super quibus ne qua infuturum lis vel dubitacio forte procederet aliqua speciali determinatione duximus exprimenda : vallem siquidem Mortuimaris in qua vestrum monasterium situm est, a via scilicet de Pucei usque ad Lisors, laboribus vestris prout vobis oportunum fuerit excolendam, sicut idem rex in castro suo de Leons ob maiorem rei confirmationem publico fecit preconio declamari, nullique hominum infra predictas metas sine vestra licentia aliquid agriculture genus liceat exercere, terram quoque quam habetis in landa de Belfussel et heremitagium de Bosquentin cum CXL acris terre ad excolendum ; terram quoque cum omnibus pertinentiis suis que vobis a nobili viro Roberto de Dangud donata est in loco qui de

Pomeria nominatur cum granceis et necessariis edificiis libere faciendis ; in quibus sane omnibus nullus a vobis decimationum nomine quicquam presumat exigere sed omnia vestris usibus integre reserventur sicut omnibus qui a cisterciensi monasterio profluxerent domni et patris nostri Innocentii pape auctoritate firmatum est et privilegio roboratum ; libertates quoque et omnes quarumlibet consuetudinum immunitates quas vobis a predicto gloriosissimo rege Henrico constat esse concessas super animalibus et quibuslibet propriis rebus et mercatibus vestris per universum regnum et ducatum suum in terra et aquis et omni portu marino, in civitatibus et vicis et omni loco vobis nichilominus quantum nostra interest confirmamus. Et ut vobis ad calceatam superioris stagni de Leons molendinum vobis edificare liceat ad proprium bladum vestrum sicut regali vobis est largitione concessu, ut vero pax vestra nulla ulterius occasione turbetur decernimus ut numquam de cetero vobis obesse possit quod abbas et monachi de Pinu prefatum locum vestrum aliquando dixerunt ad ius sui monasterii pertinere quoniam tam decreto principis quam ecclesie nostre consideratione ab omni eorum reclamacione liber et quietus sub tutela tamen nostra patrocinioque remansit. Statuimus ergo ut omnia que in presentiarum iuste et canonice possidetis vel in futurum quibuslibet rationabilibus modis largiente domno poteritis adipisci firma vobis et illibata permaneant nullique hominum fas sit bona vestra temere perturbare, minuere vel auferre vel quibuslibet molestiis fatigare. Quod si quis ulterius nefaria quod absit temeritate presumpserit indignationem Dei et omnium sanctorum maledictus incurrat et ab ea hereditate que fidelibus promissa est nisi resipuerit in perpetuum maneat alienus. Actum Rothomagi anno ab incarnatione domni M^oC^oXL^oI^o presidente sancte Romane ecclesie papa Innocentio II. Ego Hugo Rothomagensis archiepiscopus subscripsi ; Ego Walerannus decanus ; Ego Gaufridus archidiaconus subscripsi ; Ego Osmundus archidiaconus ; Ego Hugo archidiaconus subscripsi ; Ego Gilo archidiaconus ; Ego Fulbertus archidiaconus subscripsi ; Ego Robertus archidiaconus. Data per manum fraterni cancellarii.